



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

§. 4. Mores.

BIBACES vulgò creduntur, & helluones Germani: certè quæ gentes in Septentrionem vergunt, magis abdomini deditæ sunt. Hospitalis reuerâ sunt, & in exteris satis faciles. Imò ditissimi quique Stabularij sunt, magnæque in hospites suos fidei. Hyeme hypocaustis vtuntur, ex quibus raro exeunt frigore hic supra modum sanguine. Castissimæ si vsquam fœminæ; & verò adulteria hic seuerissimè vindicantur. Musici quoque habentur optimi, omnésque ad cantum nati. Matrimonia sic inter se contrahunt, vt ordo semper seruetur, numquam nobilis ducet vxorem plebeiam, nec comes nisi comitis filiæ coniungetur. Magnanimi sunt omnes Germani, & ad sanguinem effundendum paratissimi; pedites suos Landskernercht vocant, nos Galli *Lansquenetz*, quæ vox seruum regionis sonat; Equites *Reüter* appellant, nos *Reistres*, quorum furorem hæretico bello sensimus, & repressimus. Vibes ægræ propugnant ob vxores plurimas, & impedimenta, in acie se fortiter gerunt, & ad internacionem sæpe depugnant, sed deficientibus cibariis statim contabescunt. Addicti sunt exquisitoribus operibus, & ab hac parte se ingeniosos præbent. Primus in ære sculpsisse fertur opilio quidam Bergensis *Bocholdus* nomine. Inuenisse tormentum bellicum, & iteratum puluerem ante annos 300. dicitur Monachus quidam *Bertoldus Niger*, vulgò *Schwarz*. Credunt & Artem Typographicam ante annos 300. à *Ioanne Gutenberg* nobili Moguntino excogitatam esse: vt fileam exquisitahorologia, & automata ad nos indidem missa.

§. 5. Lingua.

GERMANICA lingua, seu Teutonica, vna est ex quatuor linguis latissimè patentibus, diciturque *God*: & primùm in tria idiomata distribuitur, verum *Teutonicum*, *Saxonicum*, & *Danicum*. *Saxonicum* iterum duplex, *Superius*, & *Inferius*; nempe quo vtuntur Germani trans, & cis Mænum. *Saxonicum* duplex, verum *Saxonicum* quo vtuntur incolæ maioris Saxoniarum, *Anglicum* quo Angli, & cultiores Scoti, vt suprà notauiimus. *Danicum* denique separatur in verum *Danicum*, quo Dani; *Noruegicum*,

E ij